Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2691
Quelle:
Copyright:

cium vniuersitatis pragen. magistrum pastorem parochialis ecclesie in Aychach et rectorem scolarum inferioris Altach patauien. Dyoc. Anno Domini M° CCCCXXVII. proxima feria post festum Joh. ante portam latinam finitum. Martino pp. quinto presidente Sigismundo Romanorum Vngarie Bohemie &c. Rege regnante Et heresi Hussitarum in bohemia immaniter crassante Ac reportatum (id est calamo exceptum) *in scolis prescriptis magistri scilicet Mathie engelschall.* Nihil de hoc Postillatore fontes nostri.

II. *fol.* 140. sequitur absque titulo et Autoris nomine *Compendium Theologicae Veritatis* illud, cujus versionem *teutonicam* dedimus *Cod.* CCCXXI. et quo Lector se referat. Initium Prologi: *Veritatis theologyce sublimitas cum sit superni splendoris radius* &c. Operis: *Deum esse multis modis ostenditur* &c. Agitur de hoc Opere, ut monuimus, in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 470. sed nulla ibi fit mentio operae, quam illi impendit *Thomas Dornberg de Memmyngen Decretorum artiumque liberalium doctor Et consulatus insignis ciuitatis Spirensis aduocatus*, qui *multorum*, ut ait, *studiosorum clericorum precibus pluries instigatus* luculentum ei materiarum *Indicem* alphabeticum praetexuit, unde factum, ut a quibusdam opus ipsum perperam ei adtribueretur. Indicem hunc in editione, quam *Spirensem Petri Drach* sen. censeo, f. a se anno 1473. *in vigilia Sancti Bartholomei Apostoli perfectum* et *completum* fuisse testatur, unde rursus quidam Bibliographi eam nimis fidenter illi anno adfixere. Cum hac porro editione collatus *Codex* noster eam in fine *libri* VII. et *ultimi* longo quatuor paene columnarum loco ex *Anselmi Cantuar. Proslogio* depromto excedit, quem tamen fortasse non nisi Librarius adfuit. Subscriptus est illi annus 1456. et adnexus Capitum *Index* hoc rubro: *Incipit Registrum Summe sancti thome theologice veritatis.* Sed *Hugonis Argentinensis* dicere debebat, ut jam observatum ad *Cod.* supra cit.

III. *fol.* 255. *Decem precepta Magistri Hainrici de hassia.* Initium: *Primum preceptum est Non adorabis deos alienos &c. Quod quidem respicit personam patris* &c. Finis: *Quod vinum nobis meritis gloriose virginis Marie prestare dignetur eius filius benedictus qui cum patre* &c. Subscriptum: 1456. *Cod.* CCCCXV. vidimus ejusmodi *Expositionem Decalogi* inter *Henricum de Hassia* et *Henricum de Vrimaria* controversam, sed testimonio plurium posteriori adserendam. Itaque praesentem hanc priori cedamus.

IV. *fol.* 283. p. 2. Brevior *Decalogi* Epitome sine titulo, quae infit: *Preceptum Domini primum quod attinet ad deum* &c. et finit: *concupiscentiam corruptam qualemcumque.*

V. *fol.* 284. p. 2. *Speculum Sacerdotum*, quod incipit: *Istud est speculum clarum nobile et pretiosum ipsorum sacerdotum in quo*

et